



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnis Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

18 Feb. 12 Kal. Mart.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](#)

18 Feb. 12 Kal. Mart.

S. Simeon Episc. Jacobi successor,  
cognate Christi, centum viginti  
annorum senex, acerbissimos Cru-  
cis dolores constanter perpessè. Ora  
pro me Crucifixum JESUM, ut mors  
illius sit æternò solatio morti meæ;  
ut ita Crucifixi amans vivam hīc,  
& moriar in tempore, ut ille me  
amet in æternitate. Amen.

Sancti Maxime & Claudi, fratres  
Martyres, & Præpedigna, Claudii  
uxor, ac Alexander, & Cutia, filii,  
omnes igne combusti.

Sancti Luci, Silvane, Rutule,  
Classice, Secundine, Fructule, &  
Maxime, MM.

S. Flaviane Ep. pro Christo exul.

S. Helladi Episc.

S. Theotoni, qui oblatum tibi  
Episcopatum sæpius detrectâsti :  
Regem Lusitaniæ Alphonsum, ac  
Mahaldam Reginam, à gravissimis  
doloribus liberâsti : à quâ postea  
graves licet molestias sis perpessus,  
quod illam claustrum ingredi non  
permitteres ; tamen contra respe-  
ctus humanos constans perstiristi,  
dicens: Non decere fœminam ha-  
bitaculum ingredi mundum fugi-  
entium,

## 202 ANNI CÆLESTIS

entium, nisi fortè defunctam: quidam dæmones à plurimis, præsertim in mortis agone constitutis, compescuisti, atque fugasti: & in senio sacrum cœnobii magistratum abdicans, totum te Deo cogitando amandoque dedisti; baculo, quem S. Bernardus tibi donaverat, usus ad fulcrum, ac dolorum levamentum. qui S. Petrum Apostolum ante mortem triennio vidisti, & amplexum ab illo, ac mortis, triennio post futuræ, nuntium acceptisti; visus et ipse coram Deo, incomparabili candore vestitus; & in mari candidam Religiosorum coronam gubernans, ne quid à mari pateretur: qui paulò ante mortem in turri excelsâ tibi esse visus, à S. Petro audisti, fore, ut pro brevi labore, beatitudine æternâ perfruaris, & tunc tibi S. Petrus etiam scalam, in cælum porrectam, ostendens, dicebat: per illam in cælum eos evadere, qui hinc exeunt per purgati magis; nonnullos verò minus perfectos, ajebat, in cœnobio diutius debere purgari. quo morituro, visus est pridie magnus stellarum globus è cælo in medium claustrum descendere.

S. Silvane, à Beatissimâ Deiparâ plurimis

XIX FEBRUARII. 203

plurimis revelationibus, & beneficiis honorate; qui inter sacra mysteria, totâ facie illustrissimus refusisti, vestibus niveo candore perfusis.

S. Leo, qui flagris cæsus, gratias Deo pro tormentis agens, & pro inimicis orans, aquis mersus es.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 44.

S. MARIA, qua S. Silvanum salvans dixisti: Redi in te, fili mi Silvane; & gratificare novis operibus meritoriis favorem hunc, quem tibi exhibeo. Impetra mihi, ut novis, & novis modis, flagranter quotidie gratias tibi agam!

19 Feb. II Kal. Mart.

S. Conrade Placentine, qui, ut illata à te, occasione venationum, damna sarcires, tua omnia vendisti: per annos quadraginta humi cubans, asperitate mirâ te ad mortem pretiosam præparâsti: carnes appositas in pisces vertisti: Episcopum Syracusanum visens, plurimis aviculis circumvolantibus, ac velut applaudentibus, es exceptus: rediuntibus carnis ardoribus, puritatem